

NICOLAI COPER⁶³ NICI REVOLUTIONVM LIBER TERTIVS.

De æquinoctiorum solstitiorumq; anticipatione. Cap. I.



TELLARVM fixarum facie depicta , ad ea quæ annuæ reuolutionis sunt, transeundū nobis est, & eam ob causam de mutatione æquinoctiorum, propter quam stellæ q;q fixæ moueri creduntur , primo tractabimus. Inuenimus autem priscos Mathematicos annū uertentem siue naturalem , qui ab æquinoctio uel solsticio est, non distinxisse ab eo, qui ab aliqua stellarum fixarum sumitur. Hinc est quod annos Olympiacos, quos ab exortu Caniculæ auspicabantur, eosdem esse putarent, qui sunt à solsticio, nondum cognita differentia alterius ab altero. Hipparchus autē Rhodius vir miræ sagacitatis, primus animadueruit hæc inuicem distare , qui dum anni magnitudinē attentius obseruaret: maiorem inuenit eum ad stellas fixas comparatum quām ad æquinoctia siue solsticia . Vnde existimauit stellis quoq; fixis aliquem inesse motum in consequētia, sed lentulum adeo nec statim perceptibilem. At iam tractu temporis factus est euidentissimus, quo longe iam alium ortum & occasum signorum & stellarum cernimus ab antiquorum præscripto. Ac dodecatemoria signorum circuli à stellarum hærentium signis magno satis interuallo à se inuicem recesserūt, quæ primitus non minibus simul ac positione congruebant. Ipse præterea motus inæqualis reperitur, cuius diuersitatis causam reddere uolentes, diuersas attulerunt sententias. Alij libramentum esse quodam mundi pendentis , qualem & in planetis motū inuenimus circa latitudines eorum, atq; hinc inde à certis limitibus quantū processerit, redditum aliquando censuerunt, & esse expatiacionem eius utrobiq; à medio suo nō maiorem viii. gradibus. Sed hæc opinio iam antiquata residere nō potuit , eo maxime quod

q iij iam